

Latein

26. Februar 2010, 15:50 Uhr

Nuntii Latini Septimanales 26.2.2010

Lateinischer Wochenrückblick 26. Februar 2010

Commutatio rerum Nederlandicarum

Jan Peter Balkenende primus Nederlandiae minister naufragium fecit. Discordia enim orta est inter Democratas Christianos et Sociales, qui coalitione iuncti erant, num omnes milites Nederlandici ex Afganistana revocandi essent. Qua re intra tres menses novum ministrorum collegium creandum erit.

Res publica Niger labefactus

Mamadou Tandja praesidens rei publicae Nigris rebellionem magistratu expulsus est. Militum praefecti rerum potiti sunt. Huic civitati Africae occidentalis, quae olim colonia Francogalliae fuit, magnae divitiae subterraneae sunt, in his uranium.

In insula florifera lugetur

Magnis imbribus Materia insula in oceano Atlantico sita inundata atque devastata est. Quibus tempestatibus in hac insula florifera quadraginta duo homines perierunt. In Portugallia luctus trium dierum publice decretus est.

Weitere Informationen:

[Lateinischer Wochenrückblick 8/2010](#) 

Deutsche Version

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/wochenrueckblick/latein/nachrichten160.html>